

legittimos arbitratore et amicabiles compositores et mediatores consensimus. Ex quorum matura deliberatione, sano consilio, recta arbitratione et mediatione ad talem amicabilis compositionis et concordiae devotum est unionem perpetuis temporibus duraturam, quod videlicet praefata abbatissa et conventus dominarum monasterii in Suselitz ius patronatus ecclesiae praedictae in Dresden cum suis iuribus et pertinentiis universis, quibus ex donatione gratiosa illustris principis domini Heinrici marchionis Misnensis senioris bonae memoriae de consensu venerabilis domini W. episcopi praedecessoris nostri⁴⁾ felicitis recordationis ad ipsas devolutum fuerat, in nos et in ecclesiam nostram libere et concorditer transtulerunt, renunciantes omni iuri expresse, quod eis competeat vel competere poterat quovis titulo in eodem, ita tamen, quod nos et nostri successores⁵⁾ episcopi Misnenses, qui pro tempore fuerint, praedictam parrochiam Dresdensem uni canonico emancipato de capitulo Misnensi sine diminutione in omnem eventum conferre tenebimur, veluti inter nos et dictas dominas exstitit ordinatum. Ex praedicta etiam arbitratione et amicabili compositione praedictum monasterium in Suselitz habebit incorporationem duarum ecclesiarum scilicet in Suselitz et in Cerin^{a)} sub hac forma, videlicet quod villas Deschwitz^{b)}, Gorenze prope Ostrowe^{c)} et Gruswitz^{d)} cum omnibus suis proventibus, iuribus, iudiciis plenis et utilitatibus, quibus ad ecclesiam in Suselitz pertinent vel pertinuerunt hactenus, una cum tota annona missali seu decima in modiis et manipulis ad dictam ecclesiam pertinentibus omnibus et singulis suis indigentibus supplendis, necessitatibus ac utilitatibus applicent et assumant. Villa autem Stresin^{e)} sola de bonis ecclesiae eiusdem in Suselitz cum censu tam in pecuniis quam in annona cum allodio ibidem, pullis et universis iuribus et utilitatibus cum offertorio tam in Stresin quam in Suselitz, cum plebe et testamentis ad plebanos futuros, quos dicta abbatissa et eius conventus praesentare debent, libere sicut prius pro sua sustentatione spectabunt, et ut iura episcopalia et archidiaconalia solvant et cetera, ut veri plebani facere hactenus consueverunt. In Cerin vero dicta abbatissa et eius conventus decimam, quam de suo allodio dare consueverunt ibidem ecclesiae in Cerin, suis usibus observabunt cum triginta et novem sexagenis manipulorum siliginis et avenae sitis in Nuwindorf^{f)} decem sexagenis, in Welcosch^{g)} viginti et duabus sexagenis, in Jawirnitz prope Wantwitz^{h)} septem sexagenis. Universa, singula et reliqua quae ad ecclesiam in Cerin spectabant hactenus, futuri plebani, quos dicta abbatissa et eius conventus praesentare debebunt, suis usibus applicabunt integraliter et perfecte. Nos igitur, qui ex debito officii tenemur personas perpetuo Christi servitio deputatas⁶⁾ omni quo possumus favore prosequi ac beneficiis confovere, praedictam arbitrationem et amicabilem compositionem gratam et ratam et iuri consonam arbitantes, ipsum deum prae oculis habentes ac praedictarum pauperum dominarum ordinis sanctae Clarae penuriam relevare cupientes auctoritate pontificalis officii ex certa scientia confirmamus, ipsique monasterio praedictarum dominarum praefatas duas ecclesias scilicet Suselitz et Cerin de consensu totius capituli ecclesiae Misnensis appropriamus et incorporamus ab ipsis sub forma praemissa per-

4) nostri fehlt B. 5) successores nostri B. 6) mancipatas B.

a) Zehren, Eph. Meissen. b) Döschütz, Par. Seuslitz. c) Gohris bei Ostrau, beide Par. Jahna. d) Grauswitz, Par. Staucha. e) Striesen, Eph. Grossenhain. f) Naundorf, Par. Zehren. g) Wölkisch, Par. Zehren. h) Gävernitz bei Wantwitz, Par. Lenz.